

43. Insuper ad cognoscendum negociatorem, CRISOSTOMUS, *De opere imperfecto*, *Matth.*, XXI et allegative LXXXVIII di., *Eiciens*, dat duas regulas dicens: *Quicumque rem comparat, non ut ita integram et imutatam vendendo lucretur, ille est mercator qui de templo eicitur. Eiciens enim dominus vendentes et ementes de templo, significavit quia mercator nunquam potest deo placere. Et ideo nullus cristianus debet esse mercator aut, si voluerit esse, proiciatur de ecclesia, dicente propheta: «quia non cognovi negociaciones, introibo in potencias domini».* *Quemadmodum enim qui ambulat inter duos inimicos, volens ambobus placere sine alloquio mali esse non potest. Necesses est ut et iste male loquatur de illo et ille male de isto. Sic mercator sine mendacio et periurio esse non potest*<sup>285</sup>. *Ideo dicit idem, Matth.*, XX: *Fuge ergo forum, ut neque paciaris fraudem nec facias. Si autem passus fueris, ipsa te res compellit et facere, nam si iniuriam passus fueris, si nocitus [G, 117<sup>n</sup>] fueris, difficile est ut et tu alicui non noceas. Prima ergo laus est cristiani alienum esse a foro, nullam causam habere cum eo, sicut APOSTOLUS ait: «Rogo autem vos studium habere quietis [F, 138<sup>r</sup>] et silentii et operandi manibus vestris et nullum desiderium sit vobis ad eos qui foris sunt»*<sup>286</sup>. *Si enim permanseris in foro, et quod habes perdes*<sup>287</sup>. *Quare dicit in dicto c. Eiciens: Sed substancia talium stabilis esse non potest, nec ad bonum proficit quod de malo congregatur. Quemadmodum cum triticum aut aliquod tale cernas in cribro dum huc et illuc iacitur, omnia gravia paulatin deorsum cadunt et tandem in cribro nil remanet nisi stercus, sic et de substancia negociatorum novissime nil remanet nisi solum peccatum... Unde super omnes mercatores plus est maledictus usurarius. Ipse namque rem datam a deo vendit non comparatam<sup>n</sup> ut mercator. Post fenus rem suam repetit, tollens aliena cum suis. Mercator autem non repetit rem venditam. Hec CRISOSTOMUS*<sup>288</sup>.

44. *Sed ait negociator: affero ex longinquo mercem<sup>o</sup>, mercedem laboris mei unde vivam peto. Dignus est enim operarius<sup>p</sup> mercede sua. De mendacio, periurio agitur, non de negotio. Ego enim mencior, non negocium<sup>q</sup>, nam*

<sup>n</sup> comparatam] operatam G

<sup>o</sup> mercem] mercedem G

<sup>p</sup> operarius corr. mercenarius

<sup>q</sup> negocium corr. negocior

285. Ps.-CHRYSOSTOMI *Opus imp. in Matth.*, hom. XXXVIII ex cap. 21 (PG 56, 840) et de *Quicumque...* à *...de templo eicitur*: DG, pars 1a, dist. LXXXVIII, c. 11 (FRIEDBERG, I, 309 et 308).

286. *I Thess.* 4, 10-12. *Vulgate*: «Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis; et operam detis ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis, et operemini manibus vestris, sicut praecipimus vobis; et ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, et nullus aliquid desideretis».

287. Ps.-CHRYSOSTOMI *Opus imp. in Matth.*, hom. XXXIV ex cap. 20 (PG 56, 819).

288. DG, pars 1a, dist. LXXXVIII, c. 11 (FRIEDBERG, I, 308-309). Emprunté à Ps.-CHRYSOSTOMI *Opus imp. in Matth.*, hom. XXXVIII ex cap. 21 (PG 56, 840).

*possum dicere : tanto emi, sed tanto vendam, si placet eme. Hec AUGUSTINUS*<sup>289</sup>. Concordat THOMAS, ubi supra<sup>290</sup>. *Negociacio licita reddetur, sicut cum aliquis lucrum, quod negociando querit, ordinat ad subveniendum indigentibus, vel eciam cum aliquis negociacioni intendit propter publicam utilitatem, scilicet ne res necessarie ad vitam patrie desint et lucrum expetit, non quasi finem, sed quasi stipendium laboris et licite potest pro opera suscipere lucrum unde sustentetur, dummodo non intendat caristiam inducere. Et sic lucrum licite potest intendi, non sicut ultimus finis, sed propter alium finem necessarium vel honestum... vel quia si in aliquo rem melioravit, vel quia precium rei est mutatum secundum diversitatem loci et temporis, vel propter periculum cui se exposuit transferendo rem de loco ad locum, vel eam ferri<sup>r</sup> faciendo. [G, 117<sup>r</sup>] Hec ex THOMA*<sup>291</sup>.

45. Sed dicit AUGUSTINUS : quid aliud negocium est<sup>s</sup>, nisi que possint<sup>t</sup> vilius comparari, carius velle distrahere... *Negociatores ergo illi abhominabiles existimantur qui iusticiam [D, 225<sup>b</sup>] dei minime considerantes, per immoderatam pecunie ambitum<sup>u</sup> polluunt merces suas (plus) periuriis onerando<sup>v</sup> quam preciiis. Tales eiecit dominus de templo dicens : « Nolite facere domum patris mei domum negociacionis ». Hec LXXXVII di., Quoniam*<sup>292</sup>.

46. Quare GREGORIUS DECIMUS in concilio Lugdunensi, *De immunitate ecclesiarum*, li. VI, dicit : *Decet domum domini sanctitudo, decet ut cuius in pace factus est locus eius, cultus sit cum debita veneracione pacificus. Sit itaque ad ecclesias humilis et devotus ingressus. Sit in eis quieta conversacio deo grata, inspicientibus placita que considerantes, non solum instruat sed eciam reficiat. Convenientes ibidem, nomen illud quod est super omne nomen, a quo aliud sub celo non est datum [F, 139<sup>r</sup>] hominibus in quo salvos fieri credentes oporteat, nomen videlicet Ihesu Cristi qui salvum faciet populum suam a peccatis eorum, exhibicione reverencie specialis attolant. Et quod generaliter scribitur ut in nomine Ihesu omne genu flectatur, singuli singulariter in seipsis implentes, precipue dum aguntur missarum sacra misteria, gloriosum illud nomen quandocumque recolitur, flectant genua cordis sui, quod vel capitis inclinacione testentur. Attendantur in locis eisdem intentis precordiis sacra*

<sup>r</sup> ferri] fieri G *Handwritten: F. corrigi in l. D.*

<sup>s</sup> est om. G

<sup>t</sup> possint corr. possit

<sup>u</sup> ambitum] habitum G *Handwritten: a. p. ad.*

<sup>v</sup> onerando] ornando G *Handwritten: c. F. 2. D.*

289. DG, pars 1a, dist. LXXXVIII, c. 12 (FRIEDBERG, I, 309). Emprunté à AUGUSTINI *In Ps. LXX*, n° 17 (PL 36, 886).

290. Cf. *supra*, I, p. 178 et p. 185.

291. THOMAE AQ. *S. th.*, IIa IIae, q. LXXVII, art. 4 et *ibid.* ad 2.

292. DG, pars 1a, dist. LXXXVIII, c. 13 (FRIEDBERG, I, 310). Le texte n'est pas de S. Augustin, mais de CASSIODORE, *In Ps. LXX* (PL 70, 500-501).

*In collegiis deo humiliter impone debet  
 orationibus insistat et dicitur clonabile et  
 rationibus consiliis univ. var. tel. laicorum  
 et eorum iustitias probumendo et vana colloquia  
 superbia et honoribus et mundanis ac ind. cis  
 sceleribus et male dicitur «DE USURIS» DE NICOLAS DE DRESDE  
 criminosis - hec utatque et parafum ordinant* 189

solempnia, devotis oracionibus insistant... Cessent vana et multo forcius feda et profana colloquia<sup>293</sup>. Unde FRANCISCUS: frivola qui profert, dum sacra presbyter offert, leccio sancta dei non suffragatur ei, ut ibi in Novella<sup>294</sup>. Unde sequitur: Cessent confabulaciones quelibet. Sint postremo quecumque alia, que divinum possunt turbare officium, aut oculos divine maiestatis offendere, ab ipsis prorsus extranee, ne ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehen-[G, 118<sup>o</sup>]dantur peccata comitti. Cessent in ecclesiis earumque cimeteriis negociaciones et precipue mundinarum ac fori cuiuscumque tumultus. Omnis in eis secularium iudiciorum strepitus conquiescat. Hec ibi<sup>295</sup>.

47. Quomodo non diceret quis secundum AUGUSTINUM: Revocas me a negociacione. Omnes artifices menciuntur, sutores, agricole. Vis ut optem earum tempus, ut possim vendere annonam quam servavi. Sed hoc non faciunt boni agricole nec illa boni negociatores... Merito ergo dictum est negocium, quia negat ocium, quod malum est nec querit veram quietem qui est deus. Et sicut contra medicos, superbe pollicitantes salutem, vigilat hoc quod dictum est «tota die salutares tuum», sic contra negociatores, operibus suis gloriantes, vigilat quod dictum est «Os meum annunciabit laudem tuam» quia ego non cognovi negociaciones». Non negociantur cristiani. Hec AUGUSTINUS, LXXX di., XIII<sup>o</sup><sup>296</sup>. Et CASSIODORUS, eadem di. III, Quid aliud<sup>297</sup>. Et ad hoc concordat dictum circa duo folia supra ibi: omnes isti contractus liciti sunt laycis, etc.<sup>298</sup>.

48. Ad dictum c. supra, Decet, libro VI<sup>o</sup><sup>299</sup> pulcre concordat dictum ORIGENIS, XVI, q. VII, in canone et hec ibi inter cetera sic inquit: Omnia Cristus eiecit in ministerio spiritualium actum suorum et quod tunc fecit, visibiliter egit, eiciens vendentes et ementes de templo et cathedras nummulariorum subvertit... ad correccionem populi ut non pro mundanis festivitates in nomine dei celebrent, nec empcionibus nec vendicionibus vacent in loco non competentis, in quo non debent emere et vendere, sed oracionibus tantum vacare atque congregari, quasi in domo oracionis. Nunc [D, 226<sup>a</sup>] autem arbitror templum dei ex lapidibus vivis constructum, ecclesiam Cristi. Sunt autem multi in ea [F, 139<sup>a</sup>] non sicut decet spiritualiter viventes, sed secundum

293. Sexti Decretalium l. III, tit. XXIII, c. 2 (FRIEDBERG, II, 1061-1062).  
 294. FRANCISCUS? *2a parte*  
 295. Sexti Decretalium l. III, tit. XXIII, c. 2 (FRIEDBERG, II, 1062).  
 296. DG, pars 1a, dist. LXXXVIII, c. 12 (FRIEDBERG, I, 309-310). Emprunté à AUGUSTINI In Ps. LXX, n<sup>os</sup> 17 et 18 (PL 36, 886-887). Le texte du DG est une libre adaptation du texte de S. Augustin et le texte tel qu'il est cité par Nicolas de Dresde, intervertit l'ordre des phrases du DG.  
 297. DG, pars 1a, dist. LXXXVIII, c. 13 (FRIEDBERG, I, 310). Le texte est cité, supra, n. 292 et attribué à S. Augustin.  
 298. Cf. supra, n. 120 et 124.  
 299. Cf. supra, n. 293.

*not 28, 13*

*225*

*1.122*  
*Fra*  
*Kali*  
*Romanum*  
*parvus*  
*1.67*  
*etc 88, 12*  
*no iii.5*  
*no iii.5*  
*Ca 16, p. 7, c.*  
*F. 1, 80*  
*Origen*  
*hom. 14*  
*c. 22 m. 11*  
*De Simone*  
*109<sup>2</sup>*

*Francisus Venuleon*

*Johnnes Brant:*  
*loc: Dominica*  
*i Go. 14.*

*Safus III*

*AX III Debutum*  
*2 dicit domine*  
*Domine*

*carnem militantes, qui etiam domum oracionis de lapidibus vivis constructam faciunt esse speluncam latronum. Qui [G, 118<sup>r</sup>] enim considerat in multis ecclesiis talium cristianorum peccata, qui arbitrantur questum esse pietatem et cum deberent de ewangelio vivere<sup>w</sup>, secundum quod vivere decet servos dei, hoc non faciunt, sed divicias et multas possessiones acquirunt. Nonne dices speluncam latronum factam esse sub illis ecclesiam, ut recte dicat Cristus ad eos propter dissipacionem ecclesie sue: « Que utilitas in sanguine meo, dum descendo in corrupcionem »<sup>300</sup>. Item ipse per OZEE tali modo dicit<sup>x</sup>: « Ve michi quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe et sicut racemum in vindemia, cum non sint botri ad manducandum primogenita »<sup>301</sup>. Ve anime mee, quia periit timoratus a terra et qui corrigat<sup>y</sup> in omnibus hominibus non est. Et cum intellexeris Ihesum dicentem talia et lugentem peccata nostra, aspice similiter et illud quod in ewangelio scribitur: « Cum vidisset Ierusalem, flevit super eam et ait<sup>z</sup>: Et quia si cognovisses et tu »<sup>302</sup>. Et si racionabiliter flevit super Ierusalem, flevit super ecclesiam, racionabiliter quidem edificatam ut esset domus oracionis, factam autem propter turpia lucra speluncam latronum. Et arbitror convenire verbum de venditoribus columbarum eis qui tradunt ecclesias avaris et tyrannicis et indisciplinatis et irreligiosis episcopis aut presbyteris. Propter quod etiam cathedras tantummodo appellavit EWANGELISTA eversas esse ab Ihesu. Et utinam audiret hec, cum diceretis amonicionem scripture: qui gloriantur de cathedris Moysi, in quibus sedent et vendunt omnes cathedras columbarum et tradunt eas talibus prepositis ad quos recte dicitur a domino per Ieremiam prophetam: « Principes populi mei qui me non cognoverunt, filii enim sunt insipientes et non intelligentes. Sapientes sunt ad male faciendum, bene autem facere nesciunt »<sup>303</sup>. Hec ibi per ORIGENEM<sup>304</sup>.*

49. Clerici enim non solum debent abstinere ab hiis que sunt secundum se mala, sed etiam ab hiis que habent speciem mali. [G, 119<sup>r</sup>] Quod quidem in negociacione convenit, tum quia est ordinata ad lucrum terrenum, cuius

<sup>w</sup> vivere om G

<sup>x</sup> dicit om. G

<sup>y</sup> corrigat] congregat G

<sup>z</sup> et ait om. G

300. Ps. 29, 10.

301. Le texte n'est pas d'Osée mais de Michée 7, 1. *Vulgate*: « Vae mihi quia factus sum sicut qui colligit in autumnno racemos vindemiae! Non est botrus ad comedendum, praecoquas ficus desideravit anima mea ».

302. Lc 19, 41.

303. Jer. 4, 22. *Vulgate*: « Quia stultus populus meus me non cognovit. Filii insipientes sunt et vecordes; sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nescierunt ».

304. ORIGENIS *Commentarium in Matthaum*, t. XVI, n<sup>os</sup> 20-22 (PG 13, 1143-1150). Le texte est cité avec plusieurs omissions et d'après une traduction qui n'est pas celle de la PG.

hom 15  
and cog 21

althe noisur

clerici debent esse contemptores, tum etiam propter frequentia negociatorum vicia, quia difficiliter exiit negotiator a peccatis laborum, ut dicitur Ecclesiastici, XXVI<sup>305</sup>. Alia causa, quia negociatio nimis implicat animam secularibus curis et per consequens a spiritualibus retrahit, IIa Thimothei, 2<sup>o</sup>: Nemo militans deo implicat se negociis secularibus<sup>306</sup>. Hec per THOMAM, ubi supra<sup>307</sup>. Unde dicit XIII, q. IIII: Nullus clericorum amplius accipiat quam commodavit. Si pecuniam, accipiat pecuniam, si speciem, eandem speciem accipiat quam dedit. Et quidquid aliud, tantum quantum dedit accipiat<sup>308</sup>. Intendens ergo lucrum sicut ultimum finem, solum ad hoc emens ut carius vendat et precipue rem immutatam, est negotiator, secundum THOMAM<sup>309</sup> et mercator qui de templo eicitur a domino<sup>a</sup>, secundum CRISOSTOMUM<sup>310</sup>. De quibus supra. [F, 140<sup>o</sup>] Et tantum de negociacione.

50. 10<sup>o</sup>. Item nota quod dicit ASTENUS, libro primo, ar. V, q. Quid: Si aliquis rem furtivam emit ignoranter et bona fide et in foro publico et publice, numquid potest saltem precium quod dedit a domino repetere, cum deprehendit rem furtivam esse, vel rem retinere donec ei sit precium persolutum? Et respondit quod non, § De furto, In civile, nec se defendere potest occasione alicuius statuti super hoc editi, cum sit contra deum. Poterit tamen a venditore petere precium. Hec ibi<sup>311</sup>.

51. 11<sup>o</sup>. Item mutuans alicui pecuniam ad certum terminum solvendum, vel alias monetam auri [D, 226<sup>rb</sup>] vel argenti et dubitatur utrum preciosiora sint futura in termino solucionis vere<sup>b</sup> et creditor non erat servaturus illam pecuniam usque ad illud [G, 119<sup>o</sup>] tempus, sed interim consumpturus. Est usura, vel, si erat servaturus usque ad illud tempus, ut sic<sup>c</sup> servando lucretur, ut quia tali tempore huiusmodi moneta solet requiri a viatoribus vel cruce signatis et tamen mutuatur ad talem terminum solvendum et debitor aufert libertatem liberandi se interim et debitum solvendi. Etiam est usura, quia presumitur quod ideo crediderit pecuniam ut debitorem oneraret<sup>d</sup> periculo et se exoneraret<sup>e</sup>. Si autem non aufert, sed ex misericordia facit, meretur.

<sup>a</sup> domino om. G  
<sup>b</sup> vere] ve ne G  
<sup>c</sup> sic] se G  
<sup>d</sup> oneraret corr. honeraret  
<sup>e</sup> exoneraret] exoneraret G

305. Eccli. 26, 28. Vulgate: «Duae species difficiles et periculosae mihi apparuerunt: difficile exiit negotians a negligentia et non justificabitur caupo a peccatis laborum».

306. II Tim. 2, 4.  
307. Cf. supra, n. 284.  
308. DG, pars 2a, causa XIV, q. IV, c. 6 (FRIEDBERG, I, 737).  
309. Cf. supra, n. 284.  
310. Cf. supra, n. 285.  
311. Cf. Summa Astexana, Venise 1478, s. i. p.

de Astexana  
p. 137

Nulla  
res  
de Astexana  
Summa  
lib. II

A  
C.  
225  
2.19  
lib. II  
de usuris  
p. 85

lib. VII de usuris  
p. 19

Cedel 6, tit. 2 de furtis et  
servo corrupto  
lib. 2. Guidem AA  
succulentum rem des clericis  
Kriegel II, 30

Hec q. i. h. fides do. infirma  
Conf. ad p. 19 magis potest. etc  
et h. t. Ast. de h. t. 1111 - p. p. ad de h. ad h. t. >

Soluc. de unis 83 v.

et videtur  
quod leg. -  
et so. XIII  
q. IIII  
c. clericorum >

Si autem corrupta intencione, ut se saltem interim exoneraret<sup>f</sup> a periculo servandi, peccat et debet lucrum dare pauperibus. Eodem modo dic quando datur species pro specie ad terminum, vinum pro vino, oleum pro oleo, granum pro grano. Hec fr. IOHANNES in *Summa*<sup>312</sup> et notatur XIII, q. IIII, *Nullus clericorum*<sup>313</sup>. >

non  
in  
q. IIII

52. 12°. Item notandum quod usurarii manifesti dicuntur, sive evidencia facti, scilicet quia mensam tenent<sup>g</sup> paratam ad pecuniam mutuandam cuilibet sub usuris, sicut meretrix in prostibulo cuilibet patet, vel si sunt convicti vel confessi et publicati. Sufficiunt eciam certa argumenta cum fama. Et isti sustinere debent penam, capitoli *Quia in omnibus, Extra, De usuris*<sup>314</sup>. Et hoc ipso iure, scilicet *quod non admittantur ad communionem altaris, quod non recipiant cristianam sepulturam, nec oblationes eorum quisquam clericorum recipiet. Quod si quis contra fecerit, quod accepit reddat et, donec satisfecit, ab officii sui maneat executione suspensus*<sup>315</sup>. Caveat ergo ne interim celebret, alias irregularis fiet.

53. 13°. Sic simili modo dicendum est quod nullo modo liceat inducere aliquem ad mutuandum pecuniam sub usuris. Licet tamen ab eo qui paratus est hoc facere et usuras exercet, mutuum accipere sub usuris propter aliquod bonum, quod est subvencio sue necessitati<sup>h</sup> vel alterius. Ducere enim hominem ad peccandum, nullo modo licet. Uti tamen peccato alterius ad bonum licitum est, quia et deus [G, 120<sup>r</sup>] utitur omnibus peccatis ad aliquod bonum, ut dicit AUGUSTINUS in *Enchiridion*<sup>316</sup>. Sicut enim licet ei qui incidit in latrones manifestare bona que habet, que latrones diripiendo [F, 140<sup>v</sup>] peccant, ad hoc quod non occidatur. Exemplo decem virorum qui dixerunt ad Ysmahel: *noli occidere nos, quia habemus thesaurum in agro*, ut dicitur *Jeremie, XLI*<sup>317</sup>. Et dicunt aliqui quod non solum in necessitate, sed eciam pro utilitate quam quis consequitur, agendo negocia sua, hoc licet. Et tamen is qui recipit, non intendit participare in crimine, sed tantum necessitati sue providere. Non propter hoc excusatur a toto, licet excusetur a tanto. Et si dat occasionem ex causa necessitatis, puta quia deficiebant sibi expense, et cum in necessitate omnia sunt communia, XLVII di., *Sicut hii*<sup>318</sup>, hic iuste dat quoad se, quia vexacionem suam redimit. Cessantibus

<sup>f</sup> exoneraret] exoneraret G  
<sup>g</sup> tenent corr. tenet  
<sup>h</sup> necessitati corr. necessitatis

312. Cf. *supra*, n. 118.  
313. Cf. *supra*, n. 308.  
314. *Decret. Greg. IX*, l. V, tit. XIX, c. 3 (FRIEDBERG, II, 812).  
315. *Ibid.*  
316. AUGUSTINI *Enchiridion*, l. un., c. 11 (PL 40, 236).  
317. *Jer.* 41, 8.  
318. *DG*, pars 1a, dist. XLVII, c. 8 (FRIEDBERG, I, 171-172). Emprunté à BASILII *In Evangelium Lucae*, XII, 16 (PG 31, 275): «... Proprium nemo dicat,